

F. K. 69

15

Z f  
1500

LÆTITIAM ANIMI VIR  
VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO, CONSULTISSIMOQVE,  
DOMINO  
**DN. JOHANNI FRIDERICO**

TROPPANNEGERO,

J. U. D. CELEBERRIMO, LIPSIENSIVM SE-  
NATORI SPECTATISSIMO &c. &c.  
CELEBERRIMI PATRIS GENUINO FILIO,

CUM

D. XXVII. SEPTEMBR. AN. MDCCVIII.

CUM

VIRGINE NOBILISSIMA, LECTISSIMA, VIR TUTUMQVE,  
QUE IN FOEMINAS CADUNT, DECORE INSIGNI,

**ANNA JULIANA.**  
VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CON-  
SULTISSIMI DOMINI,

**DN. QVIRINI HARTMANNI**  
SCHACHERI,

J. U. D. CELEBERRIMI, PROCONSULIS ET  
PRÆTORIS, UT ET SCABINATUS LIPS. ASSESSORIS GRA-  
VISSIMI, PRUDENTISSIMIQUE,

**FILIA**

CONNUBIO FAUSTO SE CONJUNGERET,  
IN SOLENNIBUS NUPTIIS,  
LITERIS PRÆSENTIBUS,

GRATULABUNDUS TESTABATUR

**TROPPANNEGERORUM FAMILIÆ**

PERPETUO DEVINCTUS

M. GEORG ANDREAS Binhold/ R.

**CYGNEÆ,**

LITERIS FRIDERICIANIS.



## VIR EXCELLENTISSIME,

**P**amendum id in votis habui, ex quo TIBI me  
liberalior sors conjunxit, ut fortunam TUAM  
aliquando virentem florentemque viderem. Ea-  
que vota non simplex causa expressit; sed quam  
plurima fuerunt rationes, qua me ad talem pietatem, ad tan-  
tam animi propensionem compulerunt. Si enim præteritorum  
temporum memoriam revolvo: præcipue autem Dresden,  
faustam illam studiis meis officinam, mecum contemplos: illi-  
co se mihi ingens offert beneficiorum perceptorum cumulus.  
Nunquam eame cepit, nunquam capiet oblitio: ut TROP-  
PANNEGERANÆ DOMUS, & in ea quon-  
dam benignitatis, gratia, civilitatisque mihi prestite, memo-  
riam animo meo patiar excidere. Hærent illi anni, hærebunt-  
que, dum venæ mihi calent, perpetuo, in quibus, more filii, omni-  
bus optimis rebus, omnibus commodis, & statione longe gratissi-  
ma commorandi, nullo merito meo, latari poteram. Quibus  
cogitandis quoties ego immoror: (immoror autem quam satis-  
sime) toties mihi videor in locum deliciarum & Coryciū quod-  
dam antrum subito rapi. Adeo prioris etatis delectatio sensus  
ipsos meos stimulat, animumque in considerationem, veneratio-  
nemque pristine felicitatis, magnete omni potentius, trahit.  
TUAM vero, VIR EXCELLENTISSIME,  
dum recogito adolescentiam: confessim in contemplationem  
maxima spei, quam sibi parentes ulli de filiis suis olim concipi-  
unt, simul traducor. Que quidem Celeberrimi Dn. Patris  
TUI, venerandeque Matris usque eo implebat anmos: ut  
id jam tum augurari sibi viderentur: quod nunc gaudio in-  
credibili accipiunt: alii etiam justa de causa admirantur.  
Etenim simul ac TE in disciplinam tradideras: paulatim cum  
bonis literis bonam mentem induere, & pari alacritate litera-  
rum virtutumque incrementum, atque diligentia conjugere  
didicisti. Inde novi anni novam quasi formam, novum vul-  
tum dederunt vita TUÆ. Neque deerant, qui facta Tua,  
& præclaram indolem, calidosque ad sapientiam impetus, in-  
dies laudare, probitatem extollere, morum elegantiam prædicare  
alii

aliis non dubitarent. Nescit generosa virtus diu latitare, aut,  
noctua instar, devolare ad umbras noctis: Quin potius, aquila  
pennis tanquam elevata, in lucem prodire amat. Quid dicam  
de consecutis laudibus TUIS? Loquantur ipsa subellia, in  
quibus auditor docilis sedisti, attentionem, industriam, proiectus  
TUOS singulares. Ipsa illa Musæa, que TE præsentem in  
trä parietes suos receperunt atque foverunt, assiduitatem TU  
AM, vigilias & contentiones acres pro studiis artium &  
scientiarum aliis enarrant, posterisque transmittant. Illæ quo  
que amplissimæ Musarum justitia, que sedes pro TE perorant, è  
quibus aliquoties felici Minerva disputasti, neque minus pro  
indaganda veritate, quam defendenda juris integritate ac san  
ctimonia dextro Hercule sic depugnasti: ut palmam facile de  
portares. Sed quid obvia curvis, & jampridem divulgata  
hic repeto? Ex quo enim clementissimum Magni Regis de  
TUIS studiis judicium terris innotuit Saxonis: jam inde  
ferme nemo fuit repertus, quin TUAM felicitatem multis  
verbis collaudaret, TUAM dexteritatem in explicandis legi  
bus, tuendisque iustitia decretis, albo calculo signandam putat  
ret. Ad illud potius se convertat stans, a quo plurima salutis  
humana pars pendere solet. Unicum videlicet, idque vel pre  
cipuum ad TUAM desiderabatur pulchritudinem, uxor vir  
tutum nitore conspicua, in qua honestissimi animi erga mari  
tum, curarumque familiarium quadam imago reluceret: ame  
nitatum autem domesticarum velut umbraculum defeso marito  
pateret. Multi hanc in arenam magno animo, sed cum clade  
sua, ut eventus docuit, descenderunt. Multi in solo istoc lu  
brico pedem figere laborantes, se supplantatos præter spem, da  
mno irreparabili suarum rerum, experti sunt. Multi Ocean  
num hunc ingressi, cum littus e regione, stationibus non ini  
micum, captarent, portumque intrare manibus pedibusque ni  
terentur, pro statione tuta tempestatem, pro portu commodo sco  
pulos ac syrtes invenere. TIBI autem etiam in hoc certamine &  
periculoſo itinere non nocuit vis aliqua inclemensiori fati, aut vi  
olentia. Quin ipse Deus, rector rerum mortalium, TUAM fa  
cta complexus sempiterna gratia, sine naufragio TE & ancipi  
fluctua

FR24 1500

X3439683

VD 18

Auctuatione tandem optato littori afferuit. Quamvis enim de incundo matrimonio curis distractaberere ambiguis: fusi tamen ad supremum commoditatis omnis Autorem precibus, junctis & suspiriis ardentibus pro suppeditando in re tam ardua consilio, postremo, dirigente indulgentissimo Numine, eo res devenit, ut tota mens TUA in SCHACHERIA sola subsisteret: solam amares SCHACHERIAM, solam TUO lateri associari & ad dies vita conglutinari velles SCHACHERIAM. Quis non nutum supremi Gubernatoris in hoc negotio animadverteret? Petisti more debito sponsam, suavissimam impostorum tori sociam; petitam ex voto TUO adeptus es. Cumque nuper admodum in disputatione publica Jurisconsultorum fatalia proposuisses: pariter & fata conjugii TUI, sed candida, & mollia cudiisti: cumque satis Jurisperitorum TUIS eadem opera simul interfueristi. Que igitur sententia nunc mibi surgat de TUA sorte tam beata? Certe ego TE fortunatiorem fero, quam eum, qui pretiosissimarum rerum pretiosissimam ex olla aliqua fortuna sibi forte oblata extraxit. Neque dubito, quin mundinarum Lipsiensium, in quibus nuptias nunc celebras, omnes merces, opes, divitias, elegantiasque & varietates pro sponsa tam auspicato impetrata nolles accipere. O si & mibi sacro vestro interesse contingere! Si dextras jungere, & vota votis cumulare coram, si vel omnem charitatem in sinum effundere liceret! Hoc quidem profecto vel languores omnes expelleret, vel amaritudinem vita in dulcedinem mutaret. At quod per locorum intervallum & temporis invidiam ante presenti nequit fieri: eminus fiat in loco remoto. Quemadmodum meas prescas pro voluptate animorum vestrorum, pro incolumente corporum, fortune prosperitate, denique pro vita stabili, sereno, sine ulla offensione cursu suscepas TIBI, VIR EXCELLENTISSIME, TU & QVE dicatas esse scias. Faxit Deus Clementissimus, qui VOS, par nobile, secundis auspiciis copulavit, ut amoris casti premisi, largo cum saenore, ornemini, fruamini, imo perpetuo gaudeatis. Ita felicius id eveniet, quod unice exopto, ut Nobilissimi ac laudatissimi Parentes Vestri dulce nomen avorum aviарumque, Vos autem Parentum, leto omnię posteritatis vestrae, induatis. Scribebam Cygne ad. 24. Sept. An. 1708.

mc

F. K. 69  
15

Z f  
1500

# LÆTITIAM ANIMI

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO, CONSULTISSIMOQVE,  
DOMINO

DN. JOHANNI FRIDERICO  
TROPPANNEGERO.

J. U. D. CELEBERRIMO, LIPSIENSUM SE-  
NATORI SPECTATISSIMO &c. &c.  
CELEBERRIMI PATRIS GENUINO FILIO,

CUM

SEPTEMBR. AN. MDCCVIII.

CUM

SIMA, LECTISSIMA, VIR TUTUMQVE,  
MINAS CADUNT, DECORE INSIGNI,

A JULIANA.  
VIRI

PLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CON-  
LTISSIMI DOMINI,

RINI HARTMANNI  
CHACHERI,  
ERRIMI, PROCONSULIS ET

SCABINATUS LIPS. ASSESSORIS GRA-  
MI, PRUDENTISSIMIQUE,

FILIA

BIO FAUSTO SE CONJUNGERET,  
SOLENNIBUS NUPTIIS,

LITERIS PRESENTIBUS,

ATULABUNDUS TESTABATUR

NEGERORUM FAMILIÆ

PERPETUO DEVINCTUS

GEORG ANDREAS Vinhold/ R.

CYGNÆ,

LITERIS FRIDERICIANIS.

